

tate versus duos omittere, mihi in solens videtur. Reprehendit Leusdenium Richardus Simon. in Hist. Crit. Lib. I. ch. XXIII. p. m. 126. quod laudaverit MSSum codicem, aureis literis exornatum, cum tamen certum sit, Judæos ejusmodi codices in Synagoga non tolerare. Et cap. XXII. p. 122. ostendit idem, Leusdenii judicium de MSSis hebræis esse fallax, quia codicem Anno 1299. scriptum, & utraque Masora in figuris animalium descripta instructum, tantum extollit; cum in confesso sit, ejusmodi codices non esse optimos. Non probamus omnia, quæ Simon. ibi reprehendit, hæc tamen adducenda erant, ut appareret, Masorethicos codices Leusdenio fuisse optimos, & ex iis Biblia esse descripta. Leusdenium itaque, Buxtorf. & R. Chajim, qui optimos codices hebræos edidisse perhibentur, Masoræ autoritate commotos, nostros versus omisisse manifestum est. Quare non miramur, quod iidem in aliis editionibus succedentibus prætermittantur. Non leguntur nostri versus in Bibliis Clodianis, neque in Berolinensibus, neque in Hooghtianis, neque in Opitianis, neque in pluribus aliis, quæ omnia juxta Masoræ supra adductæ fidem excusa sunt.

§. XI.

Tantum vero abest, ut error a quibusdam Judæis introductus per omnes Codices MSSos & impressos sit dispersus; plurimi enim tam Judæorum, quam Christianorum cura descripti integri manserunt, & nostros versus conservarunt, posthabita R. Ai, Masoræ & Kimchii autoritate. Hujus rei fidem faciunt doctissimi Benedictini, qui Hieronymi opera ediderunt Tom. I. p. m. 275. hæc scribes: Porro hæc verba reperiuntur in MSS. Hebræo Codice Reg. num. 7. & in altero optimo exemplari MS. notato BB. 32. in bibliotheca domus Oratorii Parisiensis in vico Sancti Honorati: in quo tamen ultimo Codice secunda manus expunxit, non versus duos integros, ut perperam asserit Richard. Simon. Lib. I. Histor. Crit. cap. XXII. sed solummodo quatuor aut quinque verba, quæ non leguntur in aliis exemplaribus Hebræorum, nec in impressis. Verba expuncta sunt ist-

hæc